DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VII. DECEMBRIS.

M. GERMANO HVREAV Doctore Medico Præside.

1059

An manifesta in Oculis Arcana Cordis?

MOTVS omnis principium immobile: immotus author naturæ omnia mouet; animus humanus indiuiduus semet agitatus omnium quas intus habet mutationum est opifex; Sol in orbe terrarum vnus idemque varias alternat ortus obitusque rerum vices; cor in hominis pectore Solis instar lucem, calorem, vitam, partibus etiam distantissimis impertit & irradiat: Mutuatum ab his & ab hepate sanguinem singulis reponit cum fœnore & ingenito motu vitæ flumen impellens perennis circulationis initium & finis est: an etiam αἱματώσεως officina? inchoatum certè hepatis opus absoluit; cerebro non cedit suprema necessitatis iura, an dignitatis? sic ex principum triade, monas. Bonum non est plures regnare soles in mundo, polemarchos in ciuitate, partes in homine: vbique εἷς κοιρανὸς ἔστω. non cerebrum, sed cor animal diuidit, visum aliquando gemino capite monstrum, gemino corde nunquam. Cor præcipua animæ sedes, cuius spirituosum cum corpore vinculum natura in profundissimo cordis sinu condidit; hinc nec molle vt hepar, lien, cerebrum, nec durum vt os, ligamentum, neruus, sed consistentia medium, iugiter agendo & sustinendo opportunum, medio situ inter hepar & cerebrum, vt his ex æquo commeatum suppeditaret, nec non ossibus vndequaque loricatum vt nesciret graves intemperies, vulnus, dolorem, iniurias: vtique primum viuens & mouens vltimum ineluctabili fato concederet.

ABDITAM in corde mentem (citra vulgarem loquendi modum) indicant variæ huius agitationes & motus, vis est in homine quâ intelligit quæ sunt: atque ex his bona prosequitur, & mala fugit ex arbitrio; Nutanti tamen iudiciorum examini non leue pondus addunt sensuum appetitus, nec raro voluptatum adblandientium illecebræ mentem è suprema sede in infimam deturbant: quin imò tam homini propriæ sunt vehementiores cordis commotiones quam ipsa ratio; hinc solus homo risus fletusque capax. Vis arcanos mentis affectus rimari? domicilium cordis explora, paruum & coactum animosis reperies, & εὐσπλάγχνοις. grande timidis. An ἀσπλάγχνοις nullum? ignauis certè molle nulliusque virtutis, an audacibus pilosum? Animi mores cordi sic annexi, vt mens in se domina lubens ancilletur cordi; vides vt hoc irascente illa sensim incalescit, ardet, furit, timore perculso omnes sensus obstupescunt, vox hæret faucibus, imò quam natura Crœsi filio denegarat, auida loquendi formido restituit? nunc audacia tumidum cor vitæ prodigum est, nunc iucunda spe prolectata ac veluti suspensa mente subsultat, exilit, pollicitisque bonis obuiam pergit, spes caducæ mœstum cor in extremas adducunt angustias. nùm & cordi amare datum est? an potiùs tam illi amare proprium quam viuere? vibratior eius assultus pulsusq; latentes detegit pereuntis Antiochi faces, in odio & animi ægritudine contabescit, in gaudio sic diffunditur, vt animam quandoque sinat elabi. quid plura? cupit anima toto corde & rectiùs quam iecinore concupiscit.

CORDIS & cerebri fenestræ sunt oculi, per quas animus commeat intus foras, foris intro penetratur: in nobili sensuum pentapoli supremum obtinent locum, vt inde anima tanquam è specula prouideret nequid subiectæ partes caperent detrimenti, namque sine his essent inutiles, nec pedes securè ambularent, nec manus fortiter apprehenderent: lucis parentes, filij Solis, velut hic diem à nocte, sic illi vitam à morte lucis vsurâ discriminant, hoc illo præstantiores quod animati, non tam corporis sidera quam mentis, hæc oculus est animæ, illi mentis; obiectis quippè illi speculorum instar rerum simulacris illustre faciunt cum ea commercium, horum ope sidera suspicimus, sine his naturæ venustas nulla foret aut superuacanea, deuocata nimirum è cælo philosophia his sequestris: oculorum compages tot distincta miraculis quot habet in se particulas; κρυσταλλοειδὲς ὑγρὸν quo præcipuè videndi potentia viget, purissimum, vt aqua perspicuum, perspiciendis omnis generis affectibus aptissimum, rotundum vt celeriùs multa capiat, in oculi centro conditum, obuallatum multiplici humorum, tunicarum propugnaculo, ad tutelam diuinæ particulæ, visus optimus in quo humoris excessus & defectus nil deliquerint. Videndi actus menti simillimus, fit specierum receptione, quiete quadam, vi instrumenti propemodum indefessa, celeritate cum mente pari, voluptate incredibili, obiecto lumine.

QVANTO perfectior est oculorum natura, tanto citiùs sæpiusque deficit, horum puritas quouis humorum redundantium colore inficitur, vaporum caligine perspicuitas obtunditur, spirituum defectu debilitatur ὀξυωπία eorumdem abundantia firmitas obtutus conturbatur, nulla mutatio in humoribus contingit cuius signa in oculis non luceant, vt illi valent sic vniuersum corpus, cum cerebro societatem habent neruorum, à quo spiritum visiuum motiuumque desumunt, hepati per venas & cordi non modo per arterias, sed etiam eiusdem muneris affinitate arctissimè colligantur, hinc eadem oculorum cordisque sanitas, idem habitus, ijdem mores; quadrupedes leo, aues aquila non magis corde superant quam visus acumine: arteriæ oculis diuino opere intextæ mole sua magnitudinem vel paruitatem cordis ostendunt. oculi vasta mole protuberantes insiti caloris copiam designant, in obiecta procaces, subtilitatem spirituum. si quos melior iuuentus afflauerat honores celeriter deciderunt, improba Venus abstulit, aut mutila & effœta genitalium vis decussit in partes nutritias & infimas, vt in spadonibus, si extremè consumpti in sene accidunt, influentis insitique spiritus inopia mors in limine stat. Cordis & oculorum admirabili sympathia fit, vt ex præalto loco despicantes caligantibus oculis deficiant cordis vires & metu exuperante corruamus præcipites. sanguinem humanum effusum ex improuiso intuiti nonnulli nimio miserationis affectu collabuntur. prægnantes rem visam, & summè concupitam fœtui reipsa imprimunt.

ARCANA Cordis prout cogitationes in intellectu sunt & in voluntate affectiones, nec homo nouit, nec dæmon: rationalis creaturæ voluntas vni subiacet Deo, horum vero signa si qua sunt in corpore ex oculis solers elicit Medicus. magni & eminentes stolidam mentem ostentant, parui & concaui insidam, albicantes aut intensè nigri timidum cor, ignei & rubri iracundum, bellicosum truculenti, furiosum scintillantes, caropi animosum, intemperantia tremulos ciet, lasciua libido igneâ quadam mobilitate præceleres ac veluti volantes leuiter & cum venustate declinantes non inamabili vitio, pudor in oculorum modesta compositione, seueritas in alto supercidio sedent, superbus elatos profert, humilis demissos, occultus liuor defixis & in vno ac intoruo obtutu hærentibus cor intus mentemque discerpi proprioque veneno exedi manifestat, quis credat ex oculis venenum emanare & inuidi cordis radium, alienum corpus inficere ad tabem vsque? In quibusdam tanta est malitia vt solo aspectu fascinent. Quid? quod soli homini oculos deprauari contingit exortis inde etiam strabonum, Lucinorum, pætorum cognominibus: Cyclops nihil est aliud quam Poëtæ figmentum: per oculos vt nuntios cor irascitur, timet, audet, sperat, desperat, amat, odit, cupit, flet, ridet; non est fur, non adulter, non sacrilegus, qui non oculis discernatur; itavt quemadmodum totus homo in corde est, ita totum cor in oculis extet.

Ergo manifesta in Oculis Arcana Cordis.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Isaac Renaudot.
M. Antonius Morant.
M Petrus Regnier.

M. Ioannes Hamon.
M. Ioannes Maurin.
M Simon Boulot

M. Franciscus Pijart.
M. Ioannes de Bourges.
M. Franciscus Boujonnier.

Proponebat Lutetiæ EDMONDVS CHARRIER Trecensis, A. R. S. H. M. DC. LVI.